

tur respectu ministerii ecclesiastici externi, de quo jam agimus, sed respectu hostiarum spiritualium, a quolibet Christiano quotidie Deo offerendarum. Ostendunt ea loca, omnes prærogativas & titulos, quas scriptores V. T. Israelitis tribuunt, majori jure & sublimiori gradu competere Christianis omnibus. Vocatur gens Israelitica Deut. VII. 6. עַם־קָדֹשׁ , *populus sanctus*, quem selegit Dominus Deus ex omnibus terræ populis. Vocatur in Exod. XIX. 6. $\text{מַמְלַכְת־כֹּהֲנִים}$, *regnum sacerdotum*. Hæc verba LXX. interpretes vertunt: $\text{ὕμεις εἰσεῖθε μοι βασιλεῖον ἱερατεῖα, καὶ ἔθνος ἅγιον}$. Et hanc versionem sequitur Petrus, sequuntur Paulus in epist. ad Hebr. & Johannes in apoc. ut solent divini N. T. scriptores. Hinc regenitos vocant *regale sacerdotium*. Dicuntur hi *Reges spirituales*, præter alias causas, quia in futuro seculo possidebunt regnum cælorum, quod justis paratum est à jactis mundi fundamentis. Dicuntur *sancti*, quia *Christus eos elegit, ut essent sancti*. Vocantur etiam *sacerdotes*, respectu hostiarum spiritualium Deo offerendarum, quod Petrus declarat citato cap. v. 5: *Vos estis sacerdotium sanctum, ad offerendas hostias spirituales, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Intelliguntur autem per hostias spirituales sacrificia precum, laudum, gratiarum actiones, opera misericordiæ & similes actiones, quibus homo se totum & vitam suam Deo consecrat. De iis, quæ ad spirituale hoc sacerdotium pertinent, conferri possunt loca Ps. IV, 6. Es. VI, 6. Jerem. VII, 22. Hof. VI, 24. Phil. IV, 18. Hebr. XIII, 15. 16. 1. Tim. II, 1. 2. 3. Ephes. V, 18. 19. Col. III, 16. Rom. XII, 1. præter loca Petri & Johannis. Ob-

jici